

sophiae, et quidem pulcerrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere, et exercere iustitiam; quaeque ipsi doceant, in usu habere. Mihi tamen hoc unum non persuadet, satius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo discendoque consumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, quum in urbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius) illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego (ut multi) invideo aliis bonum, quo ipse careo; sed contra sensum quemdam voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse. Vale.

II. C. PLINIUS CALUISIO SUO S.

«Spurinnae vitam laudat, sibi que simile aliquando otium contingat, precatur.»

Nescio, an ullum jucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui; adeo quidem, ut neminem magis in senectute (si modo senescere datum est) aemulari velim: nihil est enim illo vitae genere distinctius. Me autem ut certus siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum praesertim. Nam iuvenes adhuc confusa quaedam et quasi turbata non indecent; senibus placida omnia et ordinata conveniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est. Hanc regulam Spurinna constantissime servat; quin etiam parva haec, (parva si non quotidie fiant) ordine quodam et velut orbe circumagit. Mane lectulo continetur; hora secunda calceos poscit; ambulat millia passuum tria: nec minus animum quam corpus exercet. Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur; si non, liber legitur: interdum etiam praesentibus amicis, si tamen illi non grauantur. Deinde considet, et liber rursus, aut sermo libro potior: mox vehiculum adscendit, adsumit uxorem singularis exempli, vel aliquem amicorum, ut me proxime. Quam pulcrum illud,